



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 8. Comitia Ratisbonæ celebrata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII.

A. C. 1613.

§. VIII.

*Comitia Ratisbonæ celebrata.**Ludolph. t. 2.**c. 2. n. 26.**Carafa German. rest.**pag. 50.**Merc. t. 10.**t. 1. § 1. 34.*

Jam anni prioris Mense Martio Mathias Cæsar Vienna Pofonium ad comitia profectus erat, in quibus similitate Germanos inter & Hungaros in apertam vim erumpente aliquot utrinque occisi fuere. Inde vero Cæsar ad Imperii comitia, quæ in diem vigesimam sextam Aprilis indicta erant, Ratisbonam contendit: quo tamen non nisi vigesimo quinto Julii pervenerat: Enimvero Aureæ Bullæ decreto sancitum, quod prima post Cæsaris electionem comitia Norimbergæ haberentur, cum vero Mathias justis de causis eo venire præpediretur, nullum inde Norimbergensibus præjudicium enasci declarabat. Ad hæc autem Comitia Ratisbonæ celebranda convenerant die decima tertia Augusti omnes ferme Catholici Principes, Calviniani vero non nisi suos miserunt legatos, ut per hos audacius Cæsari resisterent, utpote quos sine verecundia reclamaturos nossent. Porro præprimis proponebatur, in his comitiis præcipue agendum esse de auxiliis contra Turcas decernendis, de componendis intestinis dissidiis, de pace in Imperio restauranda, de re mone-

monetaria & iustitia per Imperium recte Sæc. XVII.
 administranda. Verum Protestantes A. C. 1613.
 causæ suæ præcipue Juliacensi diffiden-
 tes, non se huc accessisse ajebant, com-
 munitatis boni promovendi, sed res
 suas stabiliendi, & querelis jam sæpius
 propositis remedium querendi studio,
 firmum fixumque habentes, se nun-
 quam majoribus suffragantium votis,
 quæ in his comitiis ferrentur, acquie-
 scituros. Eapropter præ ceteris, ut Cæ-
 saris jurisdictionem imminuerent, &
 maximam illius partem sibi ipsis vendi-
 carent, Bullæ aureæ leges im-
 mutari, ac Cameralis Judicii Præsidem
 tam ex Protestantibus, quam Catho-
 licis assumi, & causarum arbitros tot
 ex istis, quam ex his statui petebant;
 querebantur etiam, quod Aulicum Cæ-
 saris iudicium inique ac secundum fa-
 vorem partium Religionis causas de-
 cidat, suamque jurisdictionem in poli-
 tics etiam & profanis ultra modum ad-
 versus iudicii Cameralis constitutionem
 extendat, dum Cæsares nihil sibi reser-
 varint præter causas violatæ pacis, &
 feudorum Imperii, in quibus etiam ni-
 hil Cæsar sine statuum consilio ac con-
 sensu decerneret, minus vero causas
 ad Aulam evocare præsumeret: proin-
 publicæ tranquillitatis causa Aulicum
 hoc iudicium abrogandum sit. Pete-
 bant

Sæc. XVII. bant insuper, ut restauratis Camerali-
A. C. 1613. bus visitationibus justitia promoveatur,
Donawerthana urbs restituatur, quic-
quid Vicarii Electores tempore vacan-
tis Imperii statuissent, approbetur, &
Archiepiscopatus Magdeburgensis Pos-
sessor tum A catholicus inter reliquos
Orthodoxos Archiepiscopos pari aucto-
ritate suffragii audiatur, similiter &
alii Episcopatum Possessores, licet Pro-
testantes sint: His addebant, sectæ suæ
etiam in partibus Catholicorum liber-
tatem esse indulgendam, atque in libe-
ris Imperii urbibus, quæ utrique Reli-
gioni pateant, aditum ad Senatum &
dignitates nequaquam occludendum
esse. His fusius æque ac importunius
propositis spondebant, in ceteris se a-
liorum suffragantium studiis haud cun-
ctanter accessuros. Mathias, ut reni-
tentes sua lenitate ad saniora pertra-
heret, pollicebatur, se eorum querelis
pro viribus satisfacturum, modo prius
de rebus ad commune Imperii bonum
spectantibus, ac præcipue de reprimen-
da Turcarum violentia consultetur,
proin ipsi Calvinistæ privata sua grava-
mina communi necessitate potiora ha-
bentes, bonum publicum nullatenus
negligerent. Attamen Protestantes,
qui se *Correspondentes* dicebant, die vi-
gesima Augusti importunius petebant.
ut

ut Cæsar expositis gravaminibus præ-
 primis remedium afferret. Hic vero Sæc. XVII.
A. C. 1613.
 hosce Principes, ut tandem æquitati
 studerent, atque in consilium venirent,
 hortatus, eisdem die vigesima octava
 ejusdem Mensis exposuit, esse contra
 naturam, jus Gentium, Bullam au-
 ream, atque Imperii Constitutiones,
 ut suffragia majora minoribus cedant,
 & ad ipsorum nutum se componant, de
 cetero se operam daturum, ut in hisce
 comitiis remedium ipsis afferretur: Ve-
 rum Calvinistæ oblato libello suæ infi-
 stebant petitioni, Cæsarem vero Status
 Catholici hortabantur, ne scriptis am-
 plius cum Protestantibus ageret, sed
 eos moneret, ut omissa omni in con-
 temptum Cæsaris, & maximum cete-
 rorum Statuum damnum vergente cun-
 ctatione, consultationibus more solito
 sese adjungerent, addita contestatione,
 de damno, si quod ex hac tergiverfa-
 tione secuturum sit, innoxios se futu-
 ros: Protestantes responderunt, quod
 priusquam gravamina abrogentur, ad
 consultationem de subsidiis contra Tur-
 cas agere nollent: hanc in rem die vi-
 gesima Septembris alium Cæsari porri-
 gebant libellum.

§. IX.